



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrùm sit in Deo vna subsistentia absoluta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Aduerte tamen, ad terminandam existentiam alterius naturæ, non esse per se necessarium, vt id quod terminat, contineat eminenter rationem hypostaticam illius naturæ propriam; vt patet ex dictis Art. 1. Dub. 2. huius Quæst. & probat Scotus dist. 1. quæst. 4. Per accidens tamen id potest esse necessarium: quia videlicet nulla personalitas creata potest vniri alteri naturæ, sed increata & infinita.

18  
Responso  
ad argu-  
mentum  
Durandi.

Ad Argumenta Durandi facile est respondere: Nam ad primum, Supponit esse vnã tantum in Deo subsistentiam, eamque absolutam & essentialem: hoc enim falsum est, nam præter illam sunt tres relatiuè realiter distincte, quibus constituuntur personæ; vt ostensum est in prima parte quæst. 30. art. 1. Ad secundum, Concedo personam Christi esse personam diuersæ speciei, atque adeo esse analogicè personam cum persona creata: non tamen ideò Christus est analogicè homo; quia personalitas non est de natura hominis.

Trin confes-  
saria.

Ex dictis intelligitur, Primò: Etsi quæuis persona diuina potuerit humanam naturam terminare, solam tamen Filij personam reipsa terminare. Secundò intelligitur, Cur in hac vnione vna persona vnatur sine aliâ: in omni autem aliâ vnione Dei cum creaturâ, vna persona nõ possit sine aliâ vniri: vt in vnione per gratiam, per visionem beatificam, per modum agentis cum instrumento &c. Cum enim omnes aliæ vniones sint accidentarie, & fiant mediantibus accidentibus; necesse est Deum concurrere ad illas effectiuè, quod est commune tribus personis, & nullum accidens est quod respiciat dumtaxat vnã personam. In visione etiã, est specialis ratio: cum enim personæ diuinæ sint relatiuæ, vna sine altera cognosci nequit: nam ordo ad correlatiuum, est de intima ratione relatiui. Tertio intelligitur, Patrem & Spiritum sanctum nullo modo fuisse vnitos humanitati assumptæ; quia ratio terminandi est in solo Filio. Neque refert quod diuinitas aliquo modo carni sit vnita, quæ Patri & Spiritui sancto identificatur; quia mediã tantum vnita est, & veluti in quodam tertio, in quo tertio aliæ personæ non conueniunt. Sicut, etsi natura diuina identificetur Filio, non tamen ideò Pater & Spiritus sanctus identificantur.

Cur potius  
vna perso-  
na vnita  
tur sine  
aliâ per  
vnionem  
hypostati-  
cam, quàm  
per gra-  
tiam.

19  
Pater &  
Spiritus  
sanctus  
singulari-  
ter sunt in  
Christo  
hominis.

Concedendum tamen est Patrem & Spiritum sanctum singulari & proprio quodam modo esse in hoc homine, quo nõ sunt in alijs rebus creatis; idque dupliciter. Primò, Quatenus Deus dicitur esse singulari modo, vbi singulari modo operatur: atqui tota Trinitas operata est & etiamnum operatur vnionem hypostaticam. Secundò, Quatenus diuinæ personæ sunt in se inuicem per quãdam *περιχώσιν*, vt ait Damasc. lib. 1. cap. 11. id est, mutuam continentiam & comprehensionem, idque ratione vnus essentia. Vnde cum Pater & Spiritus sanctus sint in Filio, & Filij peculiari modo sit in hac carne ex vi vnionis; etiam Pater & Spiritus sanctus, ex vi eiusdem vnionis, singulari quodam modo in hac carne erunt: adeo vt si non essent antea in illâ per essentiam, ex vi vnionis inciperent in eâ existere. Idem dicendum est de Eucharistiã, nam ex vi vnionis, Verbum comitatur carnem: Pater autem & Spiritus sanctus comitantur ipsum Verbum ratione mutæ existentia.

## ARTICVLVS III.

Vtrum abstracta per intellectum  
personalitate, natura diuina  
possit assumere?

Responderetur affirmatiuè. Notandum est, hunc articulum bifariam posse intelligi. Primò, De abstractione reali; Vtrum si reipsa in Deo non essent tres personæ, sed vna dumtaxat, sicut Iudæi & Turcæ existimant, posset hæc naturam assumere. Et in hoc sensu videtur à D. Thoma tractari, nec habet difficultatem: certum enim est eo casu non minùs posse assumere, quã modò; quia illa persona non minùs esset infinita, quàm modò sit Verbu. Secundò, De abstractione rationis, quã aliquid dicitur abstrahi, dum alteru præcisè consideratur, ipso non considerato; hoc sensu: Vtrum Deus, vt nunc est subsistens in tribus personis, possit sibi immediatè copulare naturam humanã, ita vt illam non vniat immediatè proprietatibus personalibus: & hoc modo est difficultas in hoc Articulo, quæ petit alias de subsistentia absoluta. Vnde est

20  
Abstratio  
Realis.

Abstratio  
Rationis.

## DVBIUM I.

Vtrum sit in Deo vna subsistentia absoluta?

Respondeo, Præter tres subsistentias relatiuas realiter inter se distinctas, in Deo est quædam subsistentia absoluta & essentialis, ratione distincta à subsistentijs relatiuis; sicut essentia distinguitur à personis; quã subsistentiã perfectè subsistit hic Deus communis tribus personis, cui per se primò & immediatè conuenit operari foris. Est satis communis sententia Doctoru, D. Thomæ, Scoti, Durandi, Occami, Gabrielis, Caietani, Suarez &c.

Ratio est; Primò, Quia subsistere est perfectio simpliciter, sicut sapientia: ergo sicut diuina essentia formaliter & essentialiter est sapientia; ita etiam formaliter & essentialiter est subsistens; relationes autem nõ sunt formaliter de essentia diuinã: ergo præter subsistentiam relatiuam, quam tribuunt relationes, est in Deo subsistentia quædam absoluta, quam non habet à relationibus, sed ab essentia formaliter: sicut sapientiam non habet à relationibus, sed ab essentia. Secundò, Quia existentia diuinitatis, ex sua ratione formali & essentiali est omnino completa & perfectã; cum sit omnino infinita, continens omnem perfectionem essendi: ergo ipsa præcisè tribuit diuinitati existere per se, seu subsistere; nam hoc est complementum existentia. Confirmatur, quia nisi illa existentia esset intrinsecè completa, deberet concipi vt incompleta, & in potentia respectu sui cõplimenti; quod repugnat puro actui, & perfectioni infinite.

Dices, Si diuinitas per se subsistit subsistentia communi & essentiali: ergo subsistentia relatiuæ non vniuntur ei substantialiter, sed modo accidentario, tamquã adiacentes rei per se subsistenti. Confirmatur, Quia subsistentia in sua ratione claudit suum terminum: ergo vlteriùs non potest substantialiter terminari.

Respondeo Negando Primam Consequentia; Soluuntur, quia subsistentia relatiuæ non vniuntur essentia & sub-

22  
Obiectio

Subsistentia  
relatiua  
substantialiter  
vniuntur  
diuinitati.

& subsistentiæ communi, sicut personalitas in creaturis vnitur naturæ creatæ: hæc enim vnitur naturæ, tamquam ratio quædam formalis omnino diuersa à natura, nullo modo illam includens, vnde vnitur ad eam perficiendam & complendâ, habetque se tamquam adiacens naturæ. At subsistentiæ relatiuæ vniuntur diuinæ naturæ, tamquam ea quæ intrinsicè diuinitatem includunt, quæque per ipsam diuinitatem sic modificatam, constituuntur: Sicut rationi entis vniuntur modi ipsum contrahentes; cum tamen hi modi intrinsicè includant entis rationem. Quare subsistentiæ relatiuæ substantialiter vniuntur diuinitati, cum in suo conceptu, diuinitatis rationem includant: quod fit, vt essentia diuina terminetur relationibus, non quia illis eget ad subsistendum per se, sed quia est ad eam perfectâ & immensa, vt possit ex se proferre tres subsistentias incommunicabiles, quibus ipsa intrinsicè communicetur: tamquam id quo, & id quod, id est, ita vt quæque intrinsicè sit Deus, & Deitas.

D V B I V M. II.

*Vtrum per hanc subsistentiam possit natura humana immediatè assumi & terminari, ita vt nulli personæ immediatè vnatur?*

23  
Subsistentia  
Dei absoluta  
potest immediatè  
terminare naturam  
humanam.

**R**espondeo & Dico Primò, Hic Deus vt subsistens per subsistentiam essentialem & communem, potest immediatè assumere & terminare naturam humanam per eandem subsistentiam. Fatentur omnes Doctores qui ponunt hanc subsistentiam in Deo.

Probatur Primò, Quia subsistentia hæc est simpliciter infinita: ergo potest esse ratio subsistendi in aliena natura, non minùs quàm subsistentia relatiua. Secundo, Quia per hanc subsistentiâ essentialè Deus subsistit immediatè in se, cur ergo ipse per eandem non possit subsistere in natura aliena? Tertio, Hic Deus ita subsistens, est sufficiens principium creandi, propter infinitam potentiam: ergo & terminandi sustentandique naturam alienam, propter infinitam subsistentiam.

24

Dico Secundo, Si hic Deus immediatè humanam naturam assumeret, eam proximè per suam subsistentiam absolutam sustentando; singule quidem personæ ita vnirentur humanitati, vt in hac vnaqueque esset homo: tamen non esset necessariû vt ipsæ terminarent eandem humanitatem immediatè per suas subsistentias relatiuas.

Qualibet  
persona  
diuina esset  
homo.

Prior pars, scilicet quod quælibet persona esset homo, est communis Doctorû, excepto Durando: Et Probatur Primò, Quia si ratio assumendi & sustentandi naturam humanam est communis tribus personis, etiam assumptio, & sustentatio, & natura assumpta, cõmunis erit. Secundo, Quia hic Deus communis Patri, Filio, & Spiritui S. esset homo: ergo & Pater, & Filius, & Spiritus S. Tertio, Quia quælibet persona subsistit in diuinitate, non solum subsistentia personali, sed etiam essentiali: ergo si per eandem subsistentiam essentialè hic Deus subsisteret in humanitate, etiam quælibet persona per eandem in humanitate subsisteret, ac proinde quælibet esset homo.

25

Alter pars, scilicet, personas in eo casu non necessariò vniiri immediatè humanitati per suas subsistentias relatiuas, tenetur à Caietano & Du-

rando supra. Scotus autem & Gabriel relinquunt tamquam problema. Sed Probatur Primò: Quia etsi subsistentia relatiua idem sit ex parte rei quod absoluta; tamen ipsa potest esse immediata ratio terminandi humanam naturam, ita vt subsistentia absoluta non terminet immediatè: ergo vicissim, subsistentia absoluta poterit immediatè humanam naturam terminare, ita vt relatiua eandem non terminet. Secundo, Pater communicat Filio suam essentiam, non tamen Paternitatis relationè: ergo similiter essentia poterit esse ratio terminandi naturam humanam, ita vt relatio personalis eandem immediatè non terminet. Tertio, Subsistentia absoluta est in se perfectissima, & in ratione sustentandi simpliciter infinita; ergo nulla est causa cur eget confortio relationis, vt alienam naturam sustentet.

Ad hoc  
men non  
essent  
necessaria  
subsistentia  
relatiua.

Dico Tertio, Etiam si non daretur subsistentia absoluta, tamen adhuc probabile est ipsam diuinam essentiâ posse per se & immediatè terminare & sustentare naturam humanam. Probatur, quia vt vna natura trahatur ad inexistentem alteri supposito, non est necesse vt immediatè vniatur personalitati aut subsistentiæ, sed sufficit vt immediatè recumbat in naturâ, & consequenter in supposito; sicut supra dictum est art. 1. dub. 2. de supposito creato. Et confirmatur; quia natura non habet minorè vim ad accipiendam, terminandam & sustentandam naturam alienam, quàm personalitas. Denique nulla hic apparet contradictio. Sed

26  
Essentia  
diuina potest  
immediatè  
sustentare  
naturam  
humanam.

Obijcitur Primò, Si persona diuina in illo euentu non cõiungeretur immediatè naturæ humanæ, sequeretur posse dari aliquem, qui sit hic homo, & tamen non sit persona. Resp. Negando sequentiam: Nam hic homo esset tres personæ; Sicut, hic Deus, est tres personæ. Concedo tamè quod non esset persona ex vi illius subsistentiæ absolute, qua immediatè subsistit; aut ex vi naturæ, per quam in supposito existit; nam per hanc subsistentiam & naturam est communis tribus personis: esset tamè persona ex vi subsistentiæ relatiuæ, quæ illi mediatè coniungeretur. Sicut, hic Deus est persona, non ex vi subsistentiæ absolute, sed relatiuæ.

27  
Obiectio.  
Solutio.

Obijcitur Secundo, Inde sequeretur dari vnionem cum Deo substantialem; quæ neque sit in natura, neque in persona; ac proinde neque sit hypostatica. Respondeo, Fore vnionem in persona, ac proinde fore hypostaticam; non immediatè, sed mediatè, & ex consequenti: quia per hanc vnionem omnes personæ subsisterent in natura humanâ, eamque terminarent, quamuis mediatè.

2. Obiectio.  
Solutio.

Obijcitur Tertio, Si in Deo esset tantum vna persona, humanitas assumpta non posset terminari à subsistentiâ diuinâ, quin simul immediatè terminaretur à personalitate, idque propter idètitatem: Sed tam idem est nunc quælibet persona diuina cum essentia, quam tunc esset: ergo neque modo &c. Resp. Neg. Conf. Quia illa subsistentia tunc esset absoluta, & esset ipsa personalitas Dei: vnde licet relationes nunc sint idem cum essentiâ, non tamè eodem modo quo illa personalitas absoluta; quia non adæquatè sunt idem sicut illa.

3. Obiectio.  
Solutio.

Obijcitur Quarto, Illa humanitas careret tunc propria personalitate: ergo necesse est vt terminetur alia personalitate. Respondeo; Terminabitur alia personalitate, sed mediatè: non enim requiritur vt alia personalitas illi immediatè vniatur. Nam subsistentia essentialis, ipsaque natura

28  
4. Obiectio.  
Solutio.